

ad I.: in decisis et amplius;

ad II.: ad eminentissimum Praefectum juxta mentem — ut in lib. 54. decr. pag. 24.

Sublatis per decretum episcopi aliquibus vacationibus, quibus Dignitates, Canonici alique Beneficiati pro tonsione barbae et pro recreatione corporis alternis hebdomadis gaudebant praeter alios octuaginta vacationum dies, quos R. P. D. Zambecarius de anno 1513 Nuntius apostolicus extendendo dispositionem antiqui statuti 40 solum dies concedentis specialiter indulsit, statim similitates et dissidia a Capitulo id aegre ferente in ipsum Episcopum erumpere coeperunt.

Ad servandam igitur fovendamque mutuam charitatem et concordiam collato invicem consilio idem Episcopus et Capitulum rem ita componi posse censuerunt, ut pro obtinendo indulto ad centum dies annuae vacationis preces Sanctissimo porrigerentur, quibus deinde porrectis et huic s. Congregationi remissis, illa sub die 20. Septembris superioris anni ita rescripta: Negative, et servetur dispositio concilii; sub die vero 15. Novembris subsequentis in relationibus causarum extra folium consulta super intelligentia praefati rescripti respondit: „in decisis et servetur extensio indulti emanati de anno 1533 a Nuncio apostolico.“

Nunc itaque recedendo a prima petitione indulti vacationis centum dierum Episcopus et Capitulum unitim supplicant, ut saltem vacationes ad tres menses haec s. Congregatio concedere dignetur, ideoque ab EE. VV. declarandum erit:

An sit standum seu recedendum a decisis sub die 15. Novembris 1704?

S. Congregatio die 25. Jan. 1705,

audita relatione Episcopi Leyrien. eidem benigne commisit, ut veris etc. et sublatis quibuscunque aliis vacationibus Capitulo canonicis indulsit, ut ex gratia vacatione trium dumtaxat mensium quolibet anno frui et gaudere possit et valeat, ut in lib. 55. decr. pag. 23. terg.

S. Concil. Tridentinum sess. 24 cap. 22. de reform. ita moderandum censuit servitium chori, ut nemini liceret vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab Ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Quam sane Concilii dispositionem ita s. haec Congregatio interpretari consuevit, ut liceret Canonicis abesse per trimestrum, nisi constitutiones Ecclesiae longius praescripissent servitium ut in Mutinen. anni 1273 lib. 1. decret. pag. 1. Semper vero improbavit constitutiones aut consuetudines, quibus vacandi venia ultra trimestre daretur, teste *Fagnano* in cap. ud audientiam a num. 8. ad 16. de cleric. non sedentibus et praecipue in *Urgellen*. statuti 8. Martii 1750, in cujus folio ad propositum referuntur praecedentes resolutiones.

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Jan. 1802. *Senogallien.*)

Ex Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform. habetur, quod obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Quare apertum est ex hoc decreto, quod concilium expresse non permittit vacationes sed longiores quam trium

mensium interdicat et breviores servandas esse decernit, quae ex statuto Ecclesiae obtinent, ut observat *Fagnan.* in cap. *licet* num. 48. de praeben.

(Ex resol. S. C. C. diei 21. Augusti 1802. *Barchinonen.*)

Albintimilien.

Inter statuta Albintimiliensis Capituli anno 1539 collecta cautum septimo loco erat, quod D. Praepositus et caeteri DD. Canonici possint et valeant pro eorum negotiis peragendis et aliis sibi necessariis se absentare sine aliqua annotatione faciendae per tres menses, dummodo ipsi tres menses non sint continui, et etiam diebus solemnibus exceptis et diebus quadragesimalibus etc. et in se absentando per illud tempus respective non continuatum teneatur talis, qui se absentaverit, dare Presbyterum seu Religiosum pro Missis celebrandis tantummodo. Nec quidquam detrimenti passa est statutaria haec lex post Concilium Tridentinum, quum tolerandas immo dixerint Tridentini Patres sess. 24. cap. 12. de reform. consuetudines et statuta trium mensium vacationem concedentia.

Ob diminutum Canonicorum numerum alia de anno 1623 condita fuerunt statuta, quibus nedum episcopalis sed pontificia etiam Gregorii XII. accessit auctoritas eorumque undecimum caput haec habet: quia ex praescripto sacri Concilii Tridentini permissum est Canonicis non residere per tres menses ob Canonicorum eorum paucitatem convenerunt inter se, tres tantum Canonicos abesse posse... et tunc tanquam praesentes haberi voluerunt.

Notandum est, duo in cap. 12. sess. 24. sacri Concilii Tridentini de reform. ad rem statui. Unum, quod non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab

eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Et alterum, quod salvae sint illarum Ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Atque ita etiam temporibus Concilio proximioribus servari jussit s. Congregatio in Mutinen. 1573 lib. 1. decr. pag. 168. Sacra etc. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex decreto Concilii sess. 24. cap. 12. si constitutionibus Ecclesiae longius servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur.

Si ergo juxta relationem Episcopi pervetusta illa trium mensium vacatio, quam priora invexerant statuta, oblitterata fuit per posteriorem constitutionem perpetuamque centum et ultra annorum observantiam, jam secunda cap. 12. pars Canonicorum instantiae resistit. Quoniam vero secundum statutum et quae ei successit observantia temporaneam habuit infrequentis Capituli causam, hac idcirco cessata injustus non videtur reditus ad antiquum statum, ut advertit Episcopus ex regula text. in leg.: *Quod dictum* ff. de Pact., de qua *Perez.* in lib. 1. cod. tit. 14. num. 22. de legib. et *Fagnan.* in lib. 5. decr. cap. *Paten-*
tibus num. 11. de privileg.

EE. VV. decernere dignentur: An Canonicis Cathedralis Ecclesiae Albintimiliensis sit concedendus regressus ad vacationem trium mensium in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 19. Maii et 16. Junii 1787.

Recanaten.

Capitulum Ecclesiae Collegiatae nuncupatae s. Mariae castri novi Civitatis Recanaten. nullis fruitur vacationibus a choro, quibus tamen plurimae gaudent Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae ex benignitate s. Congregationis.

Patet ex supplicii ejusdem Collegiatae libello plura concurrere ad gratiam quam postulat vacationum conciliarium; et primo quidem gravitatem servitii quotidiani; insuper tenuitatem distributionum, ex quibus universus reditus coalescit; nam vix lucentur singuli annua scuta decem et octo; praeterea distantiam Ecclesiae Collegiatae, quae extra civitatem sita est et ad eam difficilis patet accessus hyemali tempore ob nivium copiam et viae asperitatem, aestivo vero tempore propter solis aestum.

Semel et iterum exorantibus praebendatis vacationem quatuor mensium nempe Januarii, Februarii, Julii et Augusti data solummodo fuit annuente Episcopo pomeridiana a choro exemptio antedictis mensibus decreto diei 27. Jun. 1778. Id autem nullam eis attulit utilitatem, cum illius rescripti vi circa meridiem majori cum incommodo vesperas exsolvere deberent. Nunc iterum supplices sistunt coram s. Congregatione, ut gratiam vacationis quatuor mensium nempe juxta petita obtineant. Exhibent denuo, quem jam alias, nempe quando anno 1784 reductionem Missae conventualis meruerunt, exhibuerant calculum decennalem reddituum et onerum, ex quo apparet redditum in solis distributionibus consistere et ab oneribus depuratum efferi circiter ad scut. 18. pro unoquoque altarista. Ostendunt etiam consensum Capituli legitime congregati. In memoriam revocant jam datam alias ab Episcopo relationem, quae antedictum praevit decretum anni 1778. Fateor, aiebat Episcopus, mei animi sensum haerere, cum Capitulum Collegiatae s. Mariae Castri novi solis altaristis constet (numero novem una cum Praeposito) atque illorum portio reputari nequeat tamquam beneficium, ideo et chori et Ecclesiae servitium detrimentum pati

atque ad percipiendum de Massa distributionum in vacationibus titulus iisdem deesse videtur. Revera vacationibus altaristae Oratores nunquam sunt gavisi, sed portionibus de massa distributionum juxta praestitum Ecclesiae et choro servitium semper participarunt. Ex altera parte animadverto tenuitatem ejusdem massae distributionum, difficile ac laboriosum servitium esse in causa, ut aliquo levamine Oratores digni videantur. Et praemiserat antea: *Exposita* (in precibus Capituli) tum quoad situm dictae Ecclesiae Castri novi ejusque distantiam a reliquo corpore civitatis, tum quoad asperitatem viae aequae molestiae aestivo hyemalique tempore veritate niti. In nuperioribus autem literis datis diei 26. Maii currentis anni pressius loquitur seque non solum assentiri ait, ut hi Canonici altaristae iisdem fruantur vacationibus, quibus Ecclesia Cathedralis, sed pro iis etiam exorare. Videndum de instantiae aequitate et justitia. Ultra conveniunt Canonici Oratores a Tridentina Synodo sess. 24. cap. 12. de reform. exoptatum fuisse, ut a Canonicis omnibus Cathedralium Ecclesiarum continuum diurnumque servitium praestaretur, et ex quadam indulgentia permissum, ut usque ad tres menses et non ultra abesse possent, quacumque non obstante consuetudine. Sed decretum illud ad suam non pertinere Collegiatam reponunt attenda reddituum tenuitate, quae una ex tribus causis, propter quas Tridentina Sanctio limitatur. *Cardinalis Petra ad Constitutiones apostolicas in const. 7. Junii IV. num. 28.*: *In Collegiatis autem non insignibus licet regulariter Canonici pariter teneantur ad assiduum servitium chori, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, nempe si aut Ecclesiae sint rurales aut si adsit contraria immemorabilis consue-*

tudo aut demum adeo tenues sint redditus, ut Canonici ali non valeant. Quae limitationes sufficiunt, si concurrant alternative. Et praeverat Fagnan. in primum lib. decret. cap.: cum omnes de const. n. 31., qui refert s. hanc Congregationem censuisse supra dictum Tridentinum Decretum intelligi de omnibus Collegiatis etiam non insignibus, nisi tamen istae essent rurales prorsus destinatae aut in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere aut quae adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos non habentes unde vivant alere non possent: *Pignatell. Consult. 114. num. 10. tom. 9. et consult. 150. n. 84. tom. 10.*

Tantumque reddituum tenuitati S. C. detulisse addunt, ut in ipsis etiam Cathedralibus a continui servitii lege deflectendum esse censuerit. *In Tinen. 1. Decembris 1633* respondit: *Episcopum durante tenuitate reddituum posse permittere, ut Canonici praesentent servitium Ecclesiae non continuum pro suo arbitrio, ita tamen, ut ante declarationem dicti arbitrii prius de illo certioretur S. C. Lib. 15. decr. part. 285. et in Cathanen. 5. Sept. 1699* licet denuo improbata fuerit methodus inservlendi, quam Canonici invexerunt, tamen additum fuit: *Attenta tenuitate reddituum censuit ex gratia indulgendum esse prout benigne indulget praefatis Capitularibus ut tot anni tempore per mediarias, idest per dimidium eorum partem alternis hebdomadis Missae, Matutino et omnibus Horis interesse valeant, ita tamen, ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore Adventus et Quadragesimae ac Octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi ac SS. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui non erunt de ser-*

vitio, Missae et Vesperis inseruire teneantur; lib. 49. decr. pag. 311 et 312.

In Asculana 28. Jun. 1696 et 15. Jan. 1707 vacationi, qua Canonici Ecclesiae Cathedralis frui solebant per duos menses, additus fuit tertius ob gravitatem servitii et tenuitatem proventum, ut in lib. 46. decr. pag. 39. et lib. 57. pag. 1., sed ne vacare possent a choro in Adventu et Quadragesima ne non dominicis aliisque festis diebus ac in Octavis privilegiatis, provisum fuerat die 5. Jun. 1706, ut in lib. 56. decr. pag. 170.

Verum dubitationem movet Episcopus quia horum altaristarum redditus in solis distributionibus consistunt, quos integros amitti ab iisdem oportet in mensibus vacationum; at in constitutione Bonifacii VIII. relat. in cap. unic. de clericis non residen. a Tridentino Concilio cap.: quo supra innovata, quaevis oblitterata fuit, quae adversaretur, consuetudo. Sed nil fortasse velaret, ut Canonici reponunt, quominus altaristae tempore vacationum amissa tertia distributionum parte reliquas duas lucrarentur, quemadmodum erga absentes causa studiorum atque alios privilegiatos, quoties integri fructus in solis distributionibus consistant, dudum invecum observatumque fuit, quos casus invicem confert Fagnan. in lib. primo decr. cap. cum omnes de const. n. 35.

Quod si scrupulus adhuc Episcopo haereat, quia hi altaristatus non sunt beneficia adeoque sublata interessentia in choro nullius supersit titulus, cujus vi duas distributionum partes altaristae lucentur, haud absurdum Canonicis Oratoribus videretur omnes amputare quaestiones et Episcopo committere ita hasce distributiones partiri ut qui e. g. octo aut novem aut de-

cem mensibus intersunt, (prout S. C. placeret servitii tempus definire) totam lucentur annuam distributionum summam ratione servitii per ea tempora praestiti, relicta solum pro mensibus vacationum tertia parte distributionum, quae percipi haecenus consueverit, ut ita ea merces cum fallentiis absentium conjuncta praemium sit eorum, qui vacationibus uti nollent nec Ecclesiae servitium deserere. Quo vero ad paucitatem novem Canonicorum eam tantam haud esse dicunt Canonici Oratores, ut propterea a sua petitione rejiciendi sint, cum semper duae ex tribus Canonicorum partibus pro choro servitio adesse debeant per eos menses quibus ab hac s. Congregatione vacatio a choro conceditur. *In Farfen. 13. Novembris 1655* dedit quidem S. C. vacationem duorum mensium, sed praeter consuetam exceptionem Quadragesimae, Octavae Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi addidit, *ut nunquam a servitio chori ultra tertiam partem eodem tempore abessent.* *In Atrien. 5. Decembris 1722* similiter pro concessione vacationum respondit in haec verba: *Pro gratia ad duos menses ad formam Farfen. 13. Novembris 1655* et eundem modum praescripserat *in Auximana 12. Julii 1631, ut in lib. 14. decr. pag. 467: Sacra etc. censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitatibus.*

Placeat EE. VV. decernere:

An et quomodo Capituli precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.: Esse annuendum con-

cessionem vacationum ad tres menses cum conditionibus in Auximana 12. Julii 1631 et assignata pro his tribus mensibus tertia parte consuetarum distributionum tantum.

Die 8. Julii 1786.

In cap.: *Presbyter* de celebratione Miss. habentur: Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae et Completorii tempore nostrae servitutis officia persolvamus, et in Clementina 1. eodem tit. statuitur, ut in Cathedralibus, Regularibus et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur, in aliis vero convenienter et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium. Concilium Tridentinum ad tollendos abusos sess. 24. cap. 12. de reform. statuit, quod Obstantibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut Portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.

Quamvis ex s. Concilii lege abrogata fuerint statuta, quae ultra tres menses longiorem concedebant vacationem, tamen non defuerunt aliqui, qui opinati sunt non fuisse sublatam a Concilio consuetudinem immemorabilem, ut Canonici ultra tres menses a choro vacare possint. Hanc opinionem reprobavit s. Congr. in Calagurilana, in qua anno 1581 sic respondit: S. Congr. censuit non licere Praebendatis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum Ecclesiis ultra tres menses abesse, lib. 3. decr. pag. 189 Et licet postmodum declaravit consuetudinem

inserviendi per hebdomadas non fuisse sublatam a Concilio, illam tamen locum habere voluit, dummodo per novem integros menses capitulares inservirent. Prostat resolutio edita in Cassanen. de mense Junii 1589 his concepta verbis: S. Congr. censuit modum inserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem mensibus integris Ecclesiae inserviat juxta caput 12. sess. 24. lib. 6. decr. pag. 13.

Ut autem debitus Deo cultus et Ecclesiae obsequium nonnullis praesertim temporibus praestetur, ex praxi s. Congregationis Canonice Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum petentibus indultum abessendi a servitio chori per tres menses non aliter conceditur quam sub conditione ut tempore Adventus et Quadragesimae aliisque infra annum solemnitatibus omnes inserviant. In Tarraconen., cum Capitulum Ecclesiae Ville de Reus, quae praeter Priorem triginta sex numerat Praebendatos, petisset indultum, ut octo ex Praebendatis abesse possent a choro per duos menses proposito dubio: An et quo modo petitis sit annuendum? die 18. Februarii 1764 prodiit responsum: Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum et pro duobus mensibus tantum, ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi per totam Octavam ejusdem ac aliis temporibus ab Ordinario benevis interesse et jugiter servire teneantur. Et reposita causa sub dubio: An moderandae sint clausulae appositae in rescripto seu potius augendus sit numerus Capitularium, qui abesse possint in casu etc.? die 23. Mart. 1765

fuit resolutum: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam pro sex Capitularibus tantum. Viden. folia harum causarum, in quibus plura scitu digna reperiuntur et habentur in thesauro resolutionum s. Congregationis tom. 33. et 34.

(Ex resol. S. C. C. diei 3. Aug. 1782. *Ferentina.*)

Ex Tridentino sess. 24. cap. 22. de reform. defenditur, ne liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab Ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Servanda est itaque constitutio Capituli Auximani, ex qua licet per duos tantum menses vacare, cum s. haec Congregatio semper observandas esse mandavit eas constitutiones, quae longius servitii tempus praescribunt, ut in *Urgellen. statuti 8. Mart. 1750.* Quod si Canonici Cathedralis Auximanae ex rescripto s. Congregationis 24. Augusti 1746 ita servitium praestant, ut dimidia pars choro intersit, dimidia absit, jam si hoc indultum ita extenderetur, ut tertia pars tantum servitium obiret, profecto vacarent ultra duos menses contra ac constitutiones praescribunt id quod ex citato Tridentini loco nefas habetur.

(Ex resol. S. C. C. diei 14. Apr. 1804. *Auximana.*)

h) Tempus vetitum.

Vd.: *Vacatio a choro Canon.* (continuae etc.; non omnes simul etc.; tempus.)

Vacationes non incidant in tempore Adventus, Quadragesimae, Paschatis, Nativitatis Domini aliasque solemniores anni festivitates, *Benedict. XIV.* inst. can. 107. §. 6. num. 34. et s. Congregatio in Ferrarien. et Setina

23. Novembris 1771 et in Pientina vacationis choralis 30. Augusti 1777.

(Ex resol. S. C. C. diei 28. Febr. 1795. Spoletana.)

3) Coadjutorum Canonico-

Civitaten.

Duo, qui in Ecclesia Cathedrali Canonici Coadjutores sunt, Franciscus Garzia de s. Martino et Emanuel Anio Pelegrin eadem frui voluerunt facultate, ut singulis annis abesse possint diebus quinquaginta, qua omnes illius Ecclesiae Dignitates et Canonici fruuntur ex beneficio iis indulto a Clemente VII. Pontifice Maximo. Quaestio orta est ob id an jure possint; integro igitur Capitulo ab Eminentissimis Patribus definitionem petente auditoque, ut moris est, Episcopo, qui Coadjutoribus favet sententia sua, omnes amplissimorum Patrum sententiam exspectant. Coadjutores vero disputant nullam proponi disparitatis rationem inter Coadjutores et Coadjutos, cur, ut hi beneficio Pontificis fruuntur, nequeant et illi eodem beneficio frui; Coadjutores enim in Coadjutorum locum subrogati censentur et cum nec statuto ne decreto capitulari aliquo excludantur, aequitatem omnem postulare, ut eodem utantur beneficio Pontificis, dummodo tamen illo non utantur Coadjuti, ut tradunt *Barbos*. de Canon et Dignit. c. 29. num. 44., *Ventrigl.* in prax. adnotat. 13. n. 17. et definivit *Rota in Salamantina Coadjutoriae* cor. Penia, quae impressa est apud Marches. de Commiss. par. 1. §. 2. p. 469. in fin.

Superest igitur ut omnibus perceptis definiatur ab Eminentissimis Patribus:

An Coadjutores Ecclesiae Cathedralis Civitaten. gaudere valeant in-

dulto vacationis quinquaginta dierum recreationis causa, eo non utentibus Coadjuti in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 20. Mart. 1745.

4) Magistrorum Theolog.

Potest ipse lector s. scripturae vacare a lectionibus tribus mensibus, scilicet: Julii, Aug. et Septembr.

Decis. S. R. C. Interpr. ad Conc. Tr. C. 1. Sess. V. (Ed. Gallemart. 1616 p. 22.)

5) Ab operibus servilibus.

Vd. *Patronus civitatis* (Festum, decr. n. 4501); *Missae* (oblig. audiendi); *Dominica* (licentia laborandi); *Patr. principal.* (Estne fest. de praecepto?) *Festum de praecepto* (§. 3); *Reduct. fest.*; *Vacat. ab operib. in festo Titularis*, vd. *Orator. priv.* (decr. n. 4878); *Nundinae*.

Diocesanos non teneri ab operibus vacare die solemnitatis Patroni *civitatis*, tum praesertim, si peculiarem patronum habeant. n. 2018 ad 2 die 20. Decb. 1659.

Ad dub.: An, dum festum s. Georgii Patroni Principatus Catalauniae occurrit in fer. VI. maj. hebdom. sive in Sabb. s., ita ut in aliam diem non impeditam transferatur, eadem die, qua peragitur Officium de s. Georgio, adsit etiam obligatio audiendi missam? S. C. resp.: Pro translatione Officii et Missae sed absque obligatione praecepti audiendi Sacrum et vacandi ab operibus. n. 4020 die 10. Decb. 1773.

Pius PP. VI.

V. Fr. Ignatio Massalski Ep. Wilnensi.

Variis inductum rationibus fel. rec. Benedictum XIV. fuisse scimus, qui nonnullorum cathol. principum et ordinariorum sibi porrectis precibus indulsit, ut fideles populi plurium civi-

tatum et dioecesium quibusdam festivis diebus servato in eorundem festorum vigiliis, in quibus praeceptum erat, jejuniis ac audita tantum in iisdem festis missa laboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus vacare possent. Sed ex eadem dispensatione illud postmodum, sicut accipimus, evenisse deprehensum est, ut alii in suo artificio nimis occupati praeceptum audiendi missam omnino negligerent, alii vero ex obligatione jejunandi in vigiliis et audiendi Sacrum in festis occasionem caperent a laboribus abstinendi et otio indulgendi.

Quae incommoda agnoscens charissimus in Christo filius Stanisl. Aug. Poloniae rex iisdem obviam ire statuit proindeque a Nobis enixe flagitat, ut eosdem Christifideles etiam a praecepto jejunandi et audiendi missam in diebus, quibus operi vacare permittitur, solutos esse ap. auctoritate velimus.

Nos igitur ejusdem votis obsequendum et populorum conscientiae consulendum esse judicantes Fraternitati tuae committimus et mandamus, ut in ista civitate et dioecesi tua hanc omnibus Christifidelibus ritus latini in civitate et dioecesi praedicta existentibus de diebus festis legem, in quam maturo consilio et expensis omnibus descendimus, auctoritate ap. denuncies et edicas.

Retineantur nempe ac celebrantur festivi dies Resurr. cum sequenti et Pentecost. item cum sequenti alique per annum dies dominici, necnon Nativ. Dom., Circumcis., Epiph., Ascens., et SS. Corp. Chr., tum quinque dicati B. M. V. scilicet: Purif., Annunt., Assumpt., Nativ. et Conceptionis, praeterea retineantur festa ss. ap. Petri et Pauli omniumque Sanctorum s. Stephani protom. et unius tantum principalioris patroni. Sed si alicubi plures patronos aequae principales haberi contigerit, diligenter inquiras necesse est,

quinam ex dictis principalioribus patronis potiore cultum et venerationem in ea vel civitate vel oppido vel pago habeat et in ejus tantum propria die festivitatis praeceptum designes.

In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiae cathol. instituto Christifideles Sacris adesse, a servilibus operibus abstinere et jejunium in eorundem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant et teneantur. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera permittimus sed insuper Christifideles a quacunque vigiliae seu jejunii diebus praecedentibus, dummodo vel aliunde vel ratione Quadragesimae vel quatuor temporum non praecipitur, et audiendi missam in praedictis festis obligatione absolvimus et liberamus.

Sed quoniam, cum populorum conscientiae consulimus et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, Sanctorum Venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo Sanctorum et solemnitatum officia et missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacunque ecclesia celebrari mandamus.

Sacrum vero jejunium, quod in praedictis vigiliis habeatur, ad quartas et sextas ferias Adventus transferendum ibidemque servandum edicimus et constituimus.

Ut autem non solum Clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festivis SS. Missae Sacramento et divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, SS. Apostolorum et Martyrum, quorum Solemnitates superius abrogavimus, memoriam servant et venerentur, volumus ac praecipimus,

ut die 29. Junii ultra praecipuam ss. Ap. Petri et Pauli solemnitate etiam aliorum apostolorum et die 26. Decb. ultra praecipuum s. Stephani festum etiam aliorum ss. Martyrum Memoria celebretur. Quare die 29. Junii in Calendariis eccles. ita festum inscribendum erit: „SS. Petri et Pauli et Commemoratio Om. ss. Apost.“, ac tam in officio quam in missa addatur Commemoratio de communi apost.; die vero 26. Decbr. ita notetur: Fest. s. Steph. protom. et Comm. omn. ss. Martyrum“ ac tam in officio quam in missa addenda erit Commem. de comm. pl. mm.

Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae die 3. Maii 1775.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 58. Ed. Rom. 1847.)

Eadem Bulla ejusdem tenoris ad Episcopum Dioec. Posnaniensis die 23. Maii 1775 a PP. Pio VI. missa est. (Ibid. p. 61.);

Ad Episcop. Uladslaviensis dioec. eodem die et anno (Ibid. p. 63.)

Ad Episcop. Luceoriens. dioec. (Ibid. p. 65.)

Ad Episc. Cracoviens. dioec. (Ibid. p. 66.)

Ad Episc. Plocens. dioec. (Ibid. p. 68), et ad alios Episcopos, ut videre est loco cit. a pag. 70—82 et p. 237; tom VI. p. 205. 428. 477.

VASA S.

1) Benedictio ab Abbatibus facienda.

Vd.: Paramenta; Benedictio; Suppellectilia; Usus pontif. (modus etc.)

Vasa sacra benedicendi facultatem habent Abbates Pontificalia exercentes etiam regulares, non tamen pro Ecclesiis extraneis. Praelati regulares, nempe Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Praepositi, Guardiani alique omnes Superiores locales, quocunque nomine nuncupentur, quamvis non

possint benedicere s. vasa, in quibus intervenit unctio s. chrismatis, possunt tamen benedicere alia s. vasa et ornamenta seu paramenta pro usu suarum tantummodo Ecclesiarum.

Unde caute legendi sunt doctores, qui apud La Croix lib. 6. par. 3. n. 553. et apud alios, dicunt, Superiores ordinum Mendicantium adhuc id posse etiam pro extraneis, ubi est usus, quamvis asserant bona fide id facere passim permittentibus et saepe ad eos remittentibus Episcopis. Episcopi enim non possunt absque speciali licentia s. paramentorum benedictionem aliis delegare, ut saepius decrevit s. Rit. Congr. et signanter die 14. Nov. 1615 apud Gavant. in Manuali Episcop. verb.: Benedictio num. 5. et testantur Aversa q. 11. sect. 13. §. Sexto, La Croix loco cit. num. 253. et alii passim.

Quod praelati Ordinis fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptoris Captivorum benedicere possint vasa, vestimenta et ornamenta ecclesiastica.

Gregorius Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit pastoralis officii cura nobis ex alto commissa, ut singulorum christifidelium, praesertim sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, votis rationi non contradicentibus favorabiliter annuamus.

§. 1. Sane pro parte dilecti fratris Francisci Bochet, in theologia magistri, Parisiensis, Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Vicarii generalis, in romana Curia residentis, nobis nuper exhibita petitio epntinebat quod, licet dilecti filii provinciales, Vicarii et Ministri praedicti Ordinis in Hispaniarum regnis consistentes, qui triennales dumtaxat existunt, casulas, tunicas albas et mappas et alia vestimenta et ornamenta ac etiam vasa ecclesiastica

ad divinum officium peragendum necessaria ac solita et consueta benedicendi a Sede apostolica licentiam habeant, nihilominus Provinciales, Vicarii et Ministri Ordinis praedicti in Galliis, Flandria aliisque Galliarum regnis et dominiis consistentes, qui ad vitam eligi et deputari consueverunt, eadem licentia hactenus minime usi sunt nec in futurum, absque speciali indulto nostro, uti possunt, cuperet idem Franciscus sibi ac Provincialibus et aliis Vicariis et Ministris ejusdem Ordinis in Galliis, Flandria et provincia provinciae hujusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus licentiam praedictam per Nos concedi. Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, honestis ejusdem Francisci postulatis grato concurrentes affectu ipsiusque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatis existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes ac licentiae hujusmodi et literarum desuper expeditarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Francisco ac aliis Vicariis generalibus, provincialibus et ministris dicti Ordinis in Galliis, Flandria ac provincia provinciae hujusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus, casulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia et alia quaecumque ornamenta ac vasa ecclesiastica (illis tamen exceptis quibus s. chrismata applicandum est) benedicendi, juxta tenorem licentiae vicariis, minis-

tris et aliis praedictis regnorum Hispaniarum concessae tantum licentiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus illamque ad eosdem Galliae, Flandriae provinciaeque hujusmodi ac aliorum Galliarum dominiorum et regnorum Vicarios, provinciales et alios praedictos, nunc et pro tempore existentes, etiam perpetuo, extendimus et ampliamus ipsosque, ut de caetero uti, frui et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia perinde ac si illis principaliter eadem licentia, apostolica auctoritate, concessa fuisset, decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis quae in literis ejusdem licentiae expressa sunt.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 7. Octobris 1575 pontif. anno IV. (Bull. r. t. VIII. p. 132. Ed. Aug. Taur. 1853.)

2) Benedictio a Protonotariis fac.

Vd. Protonotar. Tit.

Protonotarii sine speciali Sedis Apostolicae seu Sacrae Congregationis licentia nulla possunt benedicere vasa, paramenta seu ornamenta ecclesiastica. Sac. Congreg. Rit. 17. Jul. 1627 apud Gavant. in Manual. Episc. verb.: Benedictionum 7., et Barbos. in Summa Apostolic. dec. verb.: Protonotarius Titularis n. 14.

3) Benedictio ab inferiorib. Sacerdot.

Benedictio sacrorum paramentorum et vasorum ecclesiasticorum non potest fieri ab inferioribus Praelatis Jure proprio, licet habeant Territorium separatum et Jurisdictionem, nisi habeant ea, quae sunt ordinis, ut decrevit Sacra Congr. Rit. in Nullius 21. Agusti 1601. apud Barbosam lib. 3. Juris eccles. univers. cap. 3. num. 31 et in Summa Apost. dec. verb.: Benedictio n. 9. Ibi num.